Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35431
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

libello tamquam obscuro incerto et inepto per partem dicti rei // non fuisse nec esse respondendum
seu principaliter libellum prefatum reiciendum et repellendum ac predictum reum ab instancia
iudicii absolvendum fore et absolvatur ipsumque actorem suis in expensis propterea factis
condempnando Salvo iure addendi minuendi etc. Et causa in personali actione
est exprimenda patet de li ob c ult Et in tali est res exprimenda per confirma specifi-
canda ut de li ob c ii ut supra dictum est Et scitum quod cautum sit sic petere unde non debet
petere reus quod actor declaret libellum obscurum vel ineptum emendet Unica sit
instruet ipsum actorem si petat ut supra Et tunc secundum formam huiusmodi peticionis habet
interloqui iudex ut no de li ob c ult Et in speculo de li contestatione § Sequitur unde v
Item excepto etc et § Ad huiusmodi vero Cautum etiam sit Et quare vel ex quibus causis im-
pugnari possit libellus post Gwil in speculo de li contestatione § Iuxta etc. Vel si reus
vult declinare forum iudicis ut quia est laycus et causa est prophana et coram ecclesiastico
iudice convenitur potest sic excipere Coram vobis procurator nomine etc. scilicet rei proponit et dicit exci-
piendo Et tunc causa in presenti libello predicto reo per partem talis actoris coram vobis honorabili viro
domino officiali vel officiali vel iudici etc. oblato proposita sit civilis et prophana ipseque
reus laycus existat et partes coram suo iudice layco et seculari respondere Cuius forum
actor sequi debet Ideo libello huiusmodi predicto et super causa huiusmodi prefata coram nobis re-
spondere non tenetur Sed ad iudicem suum et forum secularem videlicet talem est remittendus
Quare petit per vos pronunciari decerni et declarari predictum reum ad respondendum libello predicto
asserto vel aliis super causa predicta litigandum coram vobis non teneri Sed ad predictum suum
iudicem competentem secularem remittendum fore et remittatur Condempnando sibi
actorem in expensis Ista exceptio probatur per c Novit de iudi et c Cum sit de foro compe
et c licet et c Ex tenore eo ti Si igitur in termino dato ad deliberandum reus proponit
exceptionem dilatoriam aliquam de premissis vel aliam Actor vel eius procurator petat
copiam sibi decerni per iudicem et terminum competentem ad replicandum assignari
Ista habet facere iudex Et scribitur per tabellionem sub hac forma Termino predicto
adveniente videlicet tali die comparuit coram predicto domino iudice sedente pro tribunali
ad iura reddendum talis reus vel talis eius procurator et exceptiones inscriptis obtulit
Quarum tenor inferius continetur petens easdem admitti Talis vero actor vel ipsius
procurator comparuit ex adverso et copiam exceptionum sibi decerni et dari petivit Ac
dare terminum ad replicandum si competierit contra eas ei assignari Cum iudex pre-
fatus copiam petitam decrevit et diem talem ad replicandum et dicendum contra
exceptiones huiusmodi si voluerit pro termino sibi assignavit Coram Ordinario scribere so-
let tabellio breviter in fine exceptionum isto modo Exhibitis huiusmodi exceptionibus per
talem reum vel per talem procuratorem in presentia talis actoris vel sui procuratoris Anno
tali die tali respondebitur vel replicabitur contra eas per partem actoris die tali Quem
de consensu partium utriusque ad hoc duximus prefigendum Actor igitur si in termino sibi